



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

Gretser, Jacob

Ingolstadii, 1611

[XLII. Adolescens ab ortu contractus, sanatur.]

urn:nbn:de:hbz:466:1-41527

Observationem ponendi monumentum, in locis, ubi miracula patrata.

Sed meritorum eius præconia cœperunt in ipso itineris processu, evidentibus miraculorum indicibus declarari: in quo diuersis morborum generibus oppressi, saluti pristinae fuerint restituti, referre per singula, tœdium scribenti, & fastidium forsitan generaret legenti: Tamen hoc non silendum, quòd in plerisque curationum locis, in testimonium diuinitus ostensæ virtutis, cumuli haud grandes, vulgi studio, congesti excreuere; vt his visis posteritas illi reuerentiam exhiberet, cuius meritis tot genti suæ beneficia collata videret. Veruntamen his interim omisis, ea referenda sunt, quæ in memoria hodieq; tenentur à multis.

CAPVT XLII.

Adolescens ab ortu contractus, sanatur.

** In Sella.*



Isaia 35.

Nter ægros, quorum multitudo salutem petens comitabatur, adolescens quidam irrefragabili membrorum contractu globatus à parentibus portabatur* gestatoria. Qui, nil in via consecutus, ad Ecclesiæ limen vsque perducitur. Procedit obuiam reliquiis digno cultu chorus Monachorum ac Clericorum, non tam eius loci, quàm ex aliis Ecclesiis confluentium. Deinde, vt moris est, concentu vulgi & cleri mixtim concrepante, regreditur. Missarum quoq; solennitas ritu festiuore de ipso Beato HENRICO inchoatur. At claudus ille inter agmina constipantium vix Ecclesiæ illatus, iuxta altare, vbi reliquiæ fuerant collocatæ, deponitur. Videres in eo illud Isaia compleri; *Saliet sicut cernus claudus, & clara erit lingua mutorum.* Cœperunt enim neruorum eius vincula solui, pedes, cruraq; extendi; illeque in oculis omnium profiliens, quanto potuit vocis conamine, virtutem in se factam protestari. Sicque officium gressus, quod vsus ab ipso natiuitatis eius exordio negauerat, gratia Christi per merita Beati HENRICI reparabat. Vox in laude DEI vtriusq; sexus attollitur in altum. Sanatus ante

tus ante altare communicaturus sistitur; sicq; ad propria cum parentibus regreditur.

CAPVT XLIII.

Energumeni liberati.

DAEMONIACI tres, vnus masculus & duæ feminae in eodem loco curati sunt: qui nomen HENRICI blasphemando ingeminantes frequenter: tandem cum stridore horrifico, sedes, quas tenerant, reliquerūt. Vnus eorum pertinacior ceteris, diu sancti nominis inuocationi renitens cum ad sereliquias deferri cognosceret; modò, cum per se HENRICVS venit, non subsistam, inquit: statimque cum clamore magno hominem possessum deferuit. Hæc ipsa die aduentus reliquiarum infra missam gesta sunt.

CAPVT XLIV.

Mulieris cæca visus redditus.

RAT in territorio Merseburgensi mulier diu cæca, quæ familiaribus gressus suos regentibus, in occursum reliquiis ultra possibilitatem, spe recuperandi visus, properabat, nihilque salutis in via se recepisse, peccatorum suorum obstaculo adscribens, triduo peruigil & indefessa prece, Christi misericordiæ ianuam pulsauit: tandemque lucis optatæ suffragium per merita Beati HENRICI obtinuit. Hæc in eadem, qua prius, villa, diu vixit: tamque clarens omni terræ illi eiusmodi miraculum fuit, vt nulli ferè, maximè horum, qui tunc temporis fuere, incognitum esse possit.



CAPVT